

Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.

Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Peter Wasmund

**Programma Quo ad Renuntiationem Novi Magistratus Academici, Omnes eidem
subditi officiose & peramanter invitantur**

Rostochi[i]: Pedanus, 1628

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn734598769>

Druck Freier  Zugang



R.U. Progr. 1628

1) Peter Warmundt

2)

3) Thomas Lindemann



Universitäts
Bibliothek
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn734598769/phys_0002](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn734598769/phys_0002)



Programma
quo
ad
RENUNTIATIO-
NEM NOVI MAGISTRA-
TUS ACADEMICI,

Omnes eidem subditi officiosè & per-
amanter invitantur,

P. P.

RECTORE
ACADEMIÆ ROSTOCHIENSIS
PETRO WASMUNDI J.UD.
& Professore ordinario.



Rostochi
Typis Joachimi Pedani Acad. Typog.
ANNO M. DC. XXVIII.

RECTOR
ACADEMIÆ ROSTOCHIENSIS
PETRUS WASMUNDT

J. U. D. & Professor ordinarius.



Si similitudine aliqua
laboriosam magistra-
tus politici conditio-
nem exprimere & il-
lustrare conantur, cū
auriga, cum belli duce,
cum nauclero, & id genus aliis, eam cō-
parant. Ut enim currus rectore desti-
tutus nutat, & quandoq; planè subver-
titur; exercitus sine duce gregis disper-
si instar oberrat, & facili negotio cædi-
tur; navis sine gubernatore fluctuat, &
non raro scopulis illisā triste naufragiū
experitur: ita sine Rectore Respublica
interit atq; collabitur. Nullum enim
fretum teste Tullio, tot tantisq; Euri-
porum æstibus motuumque procellis
quam

M.DC.XXVII

quam regimen politicum obnoxium
est. Iстis vero compescendis Deus
Opt. Max. magistratum constituit,
eique gladium commisit , cuius ad-
ministrationem difficilem atq; pericu-
losam esse omnes omnium temporum
historiæ satis superq; probant. Quare
magistratus munus alij Atlantico , alij
Aetnæ oneri, alij Herculeo labori cō-
parant, aliisq; infinitis modis ejusdem
gravitatē depingunt. Poëta dum Pro-
metheum Caucaso affixum esse, ejusq;
jecur noctu crescens & renascens in-
terdiu ab Aquila arrodi; Sisyphum dū
saxi ejusdem indesi nenti volutatione
& molesta regyratione affligi singunt;
magistratum quotidianis cu-ris pre-
mi , laboribus perpetuis affici , arro-
di & absumi denotant. Unde de ma-
gistratibus ritè obeundis, controversiæ
cum inter Politicos, tum Jctos creber-

rimæ subinde exortæ sunt, inter' quas
non postrema est, utrum Reipubl. sit
utilius, annuos & ambulatorios, an
perpetuos magistratus habere ? Et
sane pro magistratu perpetuo ratio-
nes pugnare videntur haut leves. Ut e-
nim in corpore victus ratio mutata pa-
rum prodest: ita quoq; magistratum
in Republica mutatio nequaquam ei-
dem commodat. Qvibus accedit, quod
annui ac paucō tempore circumscripti
magistratus hoc habent, ut cum quis a-
liquid in his didicerit, prius decedat
quam ejus exhibere specimen possit.
Neq; illud contemnendum, quod cum
autoritate imperare is non potest, qui
se brevi privatum fore metuit, dignita-
te vero detracta magistratui, quis pare-
bit? quis metu contineri poterit? quis
imperata exequetur: Sin potestas per-
petua erit, & cum dignitate imperabi-
tur,

tur, & cum obsequio parebitur, nec magistratui metuendum erit, ne aliquando privatorum contumelias aut improborum calumnias ferre cogatur. A magistratibus præterea novis nova cōsilia, novæ leges, novi mores, nova instituta, nova edicta, nova judicia, novi ritus, novæ legis actiones, nova deniq; omnium rerū facies ad Rempubl. permanare consuevit, unde veterum legum ac morum priscorum contemptus sequitur. Itaq; & Deus ipse magistratus ac judices perpetuos constituit: & eosdem Plato in sua Republica requirit. Laudatur quoq; Antoninus Pius quod factus Imperator nulli eorum quos Adriaanus provexerat successore dedit: eaq; constantia fuit, ut septenis ac novenis annis in Provinciis bonos præsides detineret. Quamvis vero hæc ita speciosè dicantur, annuos tamen at-

A 3

que

que ambulatorios magistratus Rei-
publ. magis esse utiles ac proficuos tum
jura ac leges, tum exempla ostendunt.
Neminem enim Imp. Valentinianus
& Valens volunt susceptionis munere
functum ad idem munus adstringi, nisi
se prius vinculo solicitudinis superio-
ris absolverit: quod neq; eos qui pla-
cuerint, gravare, justi; neq; eos qui di-
splicuerint tenere prudentis sit. Divus
etiam Hadrianus de iterandis muneri-
bus rescripsit in hæc verba, illud con-
sentio, ut si alij non erunt idonei, qui
hoc munere fungantur, tum demum
ex his qui jam functi sunt creentur. A-
thenienses magistratus suos annuos ha-
buerunt. Senatus Romanus censuit
magistratus continuari contra Rem-
publicam esse. In legib. XII. tabular.
in officio censorum habetur: magi-
stratum quinquennium habento, reli-
qui

qui magistratus anni sunt. Et altera. Eundem magistratum, ni decem anni interfuerint, ne quis capitulo: civitatem annali lege servanto. Propter Hyperionis superbiam ac crudelitatem non esse uni amplius parendum, Megarenses censuerunt, sed annuos magistratus creandos, qui vicissim summae rerum præcessent. Carthagine quotannis anni bini electi reges fuerunt.

Apud Thebatos lex fuit, qua morte puniebatur, qui ultra tempus a legibus prescriptum magistratum retinuisse. Prudenti ergo predecessorum nostrorum consilio receptum est, ut singulis semestribus magistratus scholastici mutentur, ut non modo honores sed etiam labores vicissim quadam disponantur & quasi exæquentur inter Collegas, & ut legitime a Reverendo Academice Senatu electo publicè solemnè ritu commendetur gubernatio, quæ non proprio judicio aut affectibus, sed secundum normam legum ex autoritate totius Concilij acceptanda & administranda sit. Publica vero hæc designatio Rectoris voluntate & consensu Senatus Academicus publicam autoritatem illi tribuit, apud omnes jurisdictioni ipsius subjectos, ut magistratum suum agnoscant, tanquam legitime vocatum, & a Deo ipso ad hoc munus ordinatum, ac propterea major reverentia ipsi legibus.

gibusq; quarum custodia & executio ei incumbit, propter Deum reverenter pareant. Non est enim potestas nisi à Deo, & flagitat Deus obædientiam ab omnibus qui subditi sunt, non modo propter iram seu pœnam, sed etiam propter conscientiam, quæ quavis contumacia ac inobædientia sauciatur. Cum autem ego præterito semestri æstivo magistratum ea qua potui fide & diligentia gesserim, magnas Deo opt. maximo ago gratias, quod ille cursum gubernationis meū in perturbatissimo hoc omnium rerum statu ad optatum finem clementer direxerit. Grata quoq; mente prædico Dn. Promotoris cœterorumq; Dnn Collegarum in publicis negotiis peragendis mihi præstitum auxilium, & cum pro recepta Academiæ nostræ consuetudine meo officio per Dei gratiam sim defunctus, signifco consentientibus patrum Academicorum suffragiis novum Rectorem electum esse, quem cras hora nona, volente Deo, publicè renunciabimus. Ad cuius actus solemnitatem omnes quicunque magistratum hunc à Deo constitutum agnoscunt & colunt, frequentes comparituri quin sint, non dubito. Id vero ad meam petitionem ut lubentius faciant, & gubernationem Academicam undequaq; à Satanæ organis impeditam & conquassatam Deo summo Academiarum Rectori & potentissimo Protectori ardentibus votis commendent, hortor moneo & obtistor. P.P. Rostochij 26. Octobr. Anno 1628.

RE

E



Universitäts
Bibliothek
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn734598769/phys_0011](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn734598769/phys_0011)





Universitäts
Bibliothek
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn734598769/phys_0012](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn734598769/phys_0012)



ris bestiis quicquam differunt, aut domi-
vitæ, ulla gens, aut etiam hominum un-
stante aut ipse mundus consistere potest.
tanta sit legum autoritas excellentia atque
culamur Academiæ nostræ de præstantissi-
mido, quo eam Deus Opt. Max. veluti
esse voluit, & ultra ducentos annos sibi
menter quod speramus & precamur imp-
bit. Ne vero quisquam ignorantiae le-
peccandi illecebram foveret, more ma-
tis Academiæ receptum est, ut singulis i-
ges Academicæ publicè recitentur, à
vindicentur, & ad earundem observant-
demici seriò moneantur. Judæi volun-
legis divinæ mandata scripta ferebant
fronde: habebant in limine domus,
quam obliviscerentur. Duodecim ta-
pueris ad ediscendum proponebantur.
ges olim appellabantur, quod priusqua-
nes scirent, leges nossent & cantarent, n-
traderentur. Et Tuisco Germanorum re-
carminibus est complexus, quæ publicè
cantarentur, ne oblivio illas obliterare
ignorantia. Quod si olim hoc factum e-
gis hoc conclamato & perversissimo se-
petitio & diligens inculcatio necessaria
quo mobilissima juventus diversis po-
fluctibus agitata, ductore fideli eget q-
rectâ eam deducat, ne in vastissimo pel-
naufragium patiatur. Adeste ergo c-



Image Engineering Scan Reference Chart TE263 Serial No.